



# The Holy See

---

FRANCISCUS

***EPISTULA DATA***

***ANTONIO AUGUSTO S.R.E. CARDINALI DOS SANTOS MARTO***

*Venerabili Fratri Nostro*

*ANTONIO AUGUSTO S.R.E. Cardinali DOS SANTOS MARTO*

*Episcopo emerito Leiriensi – Fatimensi*

Novellam progeniem insipientes dilectissimam eiusdemque amantissimo capti studio, omni Apostolicae Nostrae sollicitudinis labore supremo officio pro huius posteritatis bono pacis doni comparandi consulere sentimus, supplices deprecantes, ut qui per Unigenitum suum eam hominibus largiri voluit et optatam tranquillitatem nostris concedat temporibus et unam in concordia et iustitia constituamus familiam ac fraterna semper uniamur caritate, discipula Christi summopere intercedente, pacis alumna, quae cum Apostolis in oratione perseverans (cfr *Act 1, 14*) promissum Patris Spiritum unitatis, caritatis et gaudii praestolatur (cfr *Collectio Missarum BMV*, 45: *BMV Regina pacis*, collecta et praefatio).

Quae ex corde his praecipuis diebus sperantes, valde laetamur de exeunte Peregrinatione Europaea Iuvenum a die III ad diem VII mensis Augusti huius Anni Sancti Compostellani celebranda, participantium praelaudandae sollertiae ad Deum devotas exposcentes preces, cuius Filius, nostrae consulens saluti, sanguine suo universa pacificare complacuit (cfr *Col 1, 20*).

Tantam ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga istum iuvenum concursum dilectissimum dilectionem manifestet, Venerabilis Fratris Iuliani Barrio Barrio, Archiepiscopi Compostellani, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram vertimus, qui, nobilissimae terrae Lusitaniae praestantissimus filius, praecipuam Sanctuariorum actuositatem atque pastorale opus comperis, ut hodie peraptus videaris ad hanc legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnia, quae antefatis diebus Compostellae agentur ad exeuntem supradictam iuvenum Peregrinationem exornandam.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationibus praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut alumni fiant pacis ac verbi et opere eorum testimonio populi, qui ambulant in tenebris, videant lucem, gaudeant exultatione et laetitia, laetentur consilio Illius, qui regna confirmat et corroborat in iudicio et iustitia amodo et in sempiternum (cfr *Is 9, 1-2.5-6*). Simil, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo Iuvenum coetui ibi congregato.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimus omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamus, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic conventus fidelium, hanc laetitiae occasionem affectu sedulo celebrans, quod recordatione percurrit semper teneat in opere.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Iulii, anno Domini MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.*

FRANCISCUS